

miracula. Quod si igitur in Planetis nihil aliud quàm vastæ solitudines, corporaque inertia, & vita carentia reperiantur; atque absint ea in quibus clarissime certissimeque Architecti supremi sapientia elucescit; haud dubiè multum dignitate & pulchritudine concedent Telluri nostræ: quod, ut jam dixi, rationi adversatur.

Non igitur sic; sed erunt & ibi corpora quædam motu prædita, seseque ipsa moventia, neque his quæ in Terra sunt ignobiliora; adeoque erunt animantia. His autem positis, jam de herbis quoque fere necessario concedendum est; ut sit aliquid quo illa alantur. Ut nec plantas. Omnia verò hæc non aliter quam in superficie Planetariorum globorum existere, dubitari non potest; cum calore Solis gaudere ac foveri debeant; cujus radiis, non secus quam Tellus nostra, expositi sint.

Sed dicet aliquis, celerius quàm par est, hic nos progredi. Nam, ut non negetur res aliquas in Planetarum superficie reperiri, quæ ibi crescant & moveantur, Deoque auctore, non minus quam nostra hæc, dignæ sint; longè diversam tamen earum posse esse naturam, ut nec materia, nec crescendi more, nec extrinseca forma, aut internis partibus, quidquam iis, quæ apud nos sunt, simile habeant: actalia sint denique, ut nihil ejusmodi in mentem homini venire possit. Hoc igitur jam quæramus quam sit verisimile; & annon potius credendum sit, non tan-